



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. Antonij Maioragij|| Orationes|| Et Praefa-||tiones

Majoragio, Marcantonio

Monasterii VWestphal., 1599

VD16 ZV 10313

XIX. De pr[æ]stantia Literarum, ad Senatum Mediolanensem, quam primam habuit, quo tempore publicè docere cœpit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68843](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68843)



DE PRÆSTAN-
TIA LITERARVM,

AD SENATVM ME-
diolanensem;

Quam primam habuit,
quo tempore publicè do-
cere cœpit.

ORATIO XIX.

Cum propter egregia Principum nostrorum insti-
tuta, & singularem in Rep. gubernanda diligen-
tiam, vestramq; in primis fidem atq; integritatem, Pa-
tres Conscripti, bonis viris & industrijs spem dignita-
tis vberissimam, præmiâq; amplissima, & ad opes & ad
magnificentiam proposita esse viderem: ijs verò, qui se
vitiis illecebris & cupiditatem lenocinijs dedidif-
sent, non omnē salū honoris viā interclusam, sed eti-
am dedecus & ignominiam subeundā esse maximam:
eam mihi viuendi rationem ab ineunte ætate suscipi-
endam censui, vt in hac optima Rep. in ocio literario,
quo nihil dulcius aut iucundius est, cum dignitate esse
possem. Nihil enim omnino videbam, in quo ego maio-
ri cū laude nervos omnes ætatis industriæq; meæ con-
tenderā, aut in quo magis huic ciuitati prodesse possem
C6 + quàm

quàm si omnes vndiq³ literarum & ingenuarum ar-
 um flosculos ex amœnissimis doctissimorum hominum
 viretis carpens atq³ delibans, liberis vestris imperti-
 rem. Ac me quidem diu laborantem, premiumq³ labo-
 rum meorum nullum aliud, quàm laborem gloriamq³
 expetentem, diuturna spes ac expectatio non fefellerit.
 Verè enim dicam: quamuis timidè, propterea quòd in-
 tueor coràm hac lumina atq³ ornamenta Reipublice.
 Sic à bonis omnibus coli, sic observari me video, ut meli-
 tò plura, quàm ego non modò optare vnquam ausus
 fuissèm, sed ne cogitare quidem potuissèm, me conse-
 cutum esse existimem. Vos mihi certatim charissimos
 liberos, vnicam spem vestram, cum primùm ludum re-
 peruissèm, in disciplinam tradidistis: vos me iucundissi-
 ma consuetudine ac familiaritate vestra dignum
 censuistis: vos me, quamuis et atem videretis, hoc ex-
 emplissimo publicè legèdi munere libentissimè decorasti-
 ste. Quare meritò ingratus esse videar, nisi istam ve-
 stram tam propensam in me voluntatem, tam incredi-
 bilem humanitatem, tam liberalem animum non ite-
 que pradicem, non extollam, non omni studio meo in-
 gnum putem. Sed nihil est (mibi credite) P.C. qui
 quisquam de me, aut de mea possit industria dubitare.
 Ego enim à pueritia & literis omnibus doctus,
 & voce doctissimi preceptoris eruditus, & sapientissi-
 morum virorum exemplis admonitus, & ipsa demum
 natura impulsus, cum primùm per atem, quod opte-
 mum atque expetendum esset, potui cognoscere, sem-
 per illud, quantum facultas mea tulit, amplecti studii:
 nec vllum vnquam per socordiam atque ignaviam re-
 liqui.

bene gerenda tempus amisi. Nunc verò cum ad
 hanc honestissimam provinciam vestra liberalitate at-
 que beneficentia delectus accesserim, beneficium equi-
 dem maximum à vobis accepisse me fateor, cum occa-
 sionem mihi pulcherrimam oblatam esse videam, pro
 multorum civium liberis, atque adedò tota huius civi-
 tatis iuventute, & vigilandi, & laborandi. Itaque
 maiori mihi, quàm antea, studio, maioreq; diligen-
 tia opus esse intelligo, ut multorum expectationi, quam
 de me conceitavi, aliqua saltem ex parte respondeam.
 Vos verò, P. C. sic existimare, ac vobis ipsis persuade-
 re debetis, Totam me profectus mei spem, honoris ad-
 iumentum, studiorum presidium, in amplitudine ve-
 straq; collocasse. Vobis fretus, hoc cum maximo vestro be-
 neficio negotium suscepi. Vestra authoritas, virtus,
 integritas fecit, ut non vererer penè viribus meis im-
 par onus aggredi: quod tamen non dubito, quin au-
 xilio vestro facile perlaturus sim. Vos enim univer-
 sos literarum cultores & ingenuarum artium Profes-
 sores plurimum observatis: vos studiosam omni cona-
 tu atque auxilio iuventutem subleuatis: vos denique
 nullam penitus virtutem diutius iacere sustinetis. Et
 quoniam me tam erectis animis, summa cum attentio-
 ne, auditis: utar ista benignitate vestra, & de Studi-
 is humanitatis ac literarum, quibus vos, cum in eis
 plurimum excellatis, etiam filios vestros omni dili-
 gentia incumbere, & nihil aliud, quàm de illis cogi-
 tare desideratis, paulò dicam liberius: ut hos adoles-
 centes, & qui nobiles sunt, ad maiorum suorum imi-
 tationem excitem, & qui ingenio & virtute nobilita-

tem consequi possunt, ad eam vitæ rationem, in qua multi homines noui & honore & gloria floruerunt, ingrediendam adhorter. Quod dum facio, quaeso vos, P. C. quamuis hæc ad vos oratio parum, aut nihil pretius, pertinere videatur, tamen, quoniam me presentia vestra decorare voluistis, bona cum uenia audiatis. Hæc enim res iuuentuti ad discendum præclarissima: neque mihi perdifficilis ad docendum. Nam qui nihil in vita penitus expetendum putat, nisi quod sit cum laude atque dignitate coniunctum: cum summa ope niti decet, ut ea complectatur, quam vigilantes homines, nisi sobrii, nisi industrii, consequi non possunt: tantoque uehementius litterarum studijs incumbat, quanto ea præstantiora & uilius ceteris omnibus studijs esse planum ac manifestum est. Nam, per Deos immortales, quid humano generi datum est à prouidentia maius aut clarius, quam studia litterarum? quid honestius? quid dulcius? quid, quod magis excelsum ac sublimem animum deceat, quod magis à vitiorum sordibus, & effrenatis cupiditatibus possit hominum mentes ad uirtutem ac honestatem subleuare? Ac mihi quidem, de his studijs sæpius cogitanti ac pertractanti, uenit in mentem admirari summam Dei immortalis beneficentiam, & benignitatem incredibilem: qui primo nos hoc munere tam eximio litterarum beare uoluerit: deinde cognitionis ac scientiæ desiderium nostris mentibus inspirarit. Neque enim ullus mortaliu inueniri potest, qui naturæ ipsius instinctu scire non desideret. Vnde factum est, ut assidua mentis agitatio, qua

nunquam quiescit, tot ac tam varios disciplinas atque scientias excogitauerit, quibus animum si quis ita excoluerit, ut excellat, quasi Deus aliquis in terris, in summa omnium est admiratione, ab omnibus obseruatur ac diligitur. Hac est una via (inibi credite) & laudis, & dignitatis, & honoris: Bonis artibus ac disciplinis animum conformare: nullus est animi cultus sanctior, nulla occupatio liberalior, nullum sciium amcenius, nullum studium praestantius. Quis enim ignorat, Studio literarum fieri, ut scire possimus quid maiores nostri, quid externa nationes, quid omnis antiquitas gesserit, aut dixerit? Age verò, Nonne literis docemur perfecte loqui, politè dicere, veri ac falsi cognitionem habere: caelum, maria, terras intelligentia permeare, totius naturae vim & rerum causas cognoscere, priuatas domos regere, Respublicas administrare, vitia propulsare, mores emendare, bellorum sedare tempestatem, pacis seruare tranquillitatem? Proh Diu immortales! tantumne fructum, tam amplum, tam immensum, non toto pectore cupiamus? non remis (ut aiunt) velisque petamus? non manibus pedibusque teneamus? Quod ingenium tam acre, tam sublime, tam varium, tam fecundum: quis tantus eloquentiae torrens inueniri potest, qui literarum studij praestantiam atque optimarum artium amplitudinem possit oratione comprehendere? Obsecro vos per Deos immortales, P. C. date mihi hanc veniam, ut liceat orationi meae in hoc quasi dicendi campo, suo quodammodo iure parumper exultare. Atque utinam ea mihi facultas esset orationis, qua

rei

rei magnitudinem dicendo possem assequi. cum res
omnes hac verba mea videam tam humaniter ac li-
genter audire. Vestra ista gloria, P. C. erumpet enim
ex me vera vox, & dicam audacter coram inasuetu-
mo Senatu, quod Sentio, vestra ista tam egregia
tam excellens, tam omni laude ferenda gloria, qua
proximè ad Deorum immortalium dignitatem acci-
ditis, omnino iaceret in tenebris, neque diuinum illum
fulgoris suum explicare posset, nisi literarum munus
accederet; tot facta memorabilia domi, militumque
tot res gesta, tot dimicationes, tot praelia, tot triump-
phi, tot imperia, quæ maxima cum laude celebra-
tur, iam pridem in eternam obliuionem concessissent.
Quis ex tot egregijs & probatissimis viris, ex tot fir-
tissimis Imperatoribus, qui maiorum nostrorum ve-
tate, & priscis illis temporibus floruerunt, hoc tempus
nosceretur, nisi sacratissima Literarum monumenta
extitissent? vanus esset omnis labor noster, vana spes
omnis posteritatis, vani conatus, vigilia, cura, sollicitu-
dines; occideret vnâ cum corpore rerum omnium
gestarum memoria, nulla laus esset hominum virtutum
post cineres, nulla gloria, quam vnâ mercedem labo-
rum ac periculorum suorum virtus maxime de-
derat. Literæ sola rebus præclarè gestis immortalita-
tatem donant. Literæ, tanquam smaragdi preciosissi-
mi, suaviter ac perpetuè virent. Literæ sunt fideles
mæ vitæ duces, virtutum indagatrices, expultrices
vitiatorum. Literæ sunt domina rerum, quibus persua-
demus, quibus afflictis consolamur, quibus cupiditates
iracundiasque restringimus, quibus iuris, legum, morum

bium societate deuincimur: quarum maiestate omnia
 vitæ ac fortunæ ornamenta decorantur. Literæ sunt
 lumina veritatis, viuendi magistra, nunciæ vetusta-
 tis. Iam verò Literæ in omnibus negocijs & rebus agen-
 dis, maximam solent hominibus asserre prudentiam,
 dum nobis ob oculos clarissimorum virorum exempla
 proponunt: dum inuestigandi veri desiderium inspi-
 rant, animi atque mentis agitationem excitant, omni-
 um virtutum viam per scientias aperiunt. Nec mino-
 ra nobis ad iusticiam adiumenta præbent: Religionem
 enim docent, pietatem in patriam, in parentes, in li-
 beros, in amicos concordiam, fidem, constantiam,
 vitæ communionem ac societatem. Quid, ad animi
 magnitudinem quantas in nobis faces accendunt? vt
 labores ac pericula toleremus, vilium rerum contem-
 ptione, magnarum appetentiâ ducamur, placabilita-
 tem, clementiam, abstinentiam complectamur. Ad
 modestiam autem ac temperantiam vel inuitos penè
 dixerim homines Literæ trahunt: cum toties libidi-
 num eradicationem inculcent, vigilantiam, sobrietate-
 tem, rerum omnium modum. Sed quò rapimur amo-
 re literarum? Prò Deum atque hominum fidem! vi-
 deo Literis cælum etiam ipsum aperiri, æternam ani-
 mis nostris felicitatem condonari. Video per Literas
 tantam nobis industriam, tantum mētis acumen, tan-
 tam solertiam inspirari, vt cælestes etiam globos co-
 gnitione penetremus, & quasdam ibi naturas ab om-
 ni mortalitate separatas esse intelligamus, quarum
 summa sit ratio sempiterna, quam eandem mentem
 sapientiamq; perfectam, & Deum appellamus, omnium
 rerum,

rerū, quæ sunt ei subiecta, conditorem, pro cuius am-
 coelestia maximè, deinde in terris ea, quæ ad homines
 pertinent: prætere a nouè orbibus connexa esse omnia
 quorum in infimo Luna per tristes tenebras, pauidas
 umbras feratur prorsus horrida & tenebricosa, per
 Phœbi radijs illa stretur: cuius mutabilitate nunc
 nunc exurgant, nunc refluxendo deprimantur. Super
 Lunã aeterna esse omnia: infra nihil, nisi mortale &
 caducū, præter animos nostros, qui Dei beneficio sunt
 immortales. Inter se coniuncta esse rerum elementa
 concordia discordia, quæ vicissim generentur & corrumpuntur:
 ita ut vicissitudine quadã omnia renouentur.
 Nouimus per Literas, quæ sit ventorum, tonitrui,
 pluuiarum causa, quæ sit terrestrium, aquatiliū, volu-
 criū, amphibiorum animalium natura sit: quæ ratio-
 ne fieri possit, ut certis momentis, atq; eo semper tem-
 pore tempora decedant: cur nunc annus odorum suauitate,
 qui afflantur è rosis ac floribus, & camporum am-
 nitate vernet, nunc maturos fructus afferat, nunc hor-
 rida tempestate teneatur. O iucunda natura contem-
 platio! O miræ rerum spectacula! His ego rebus per-
 tor, his delector, his perfruor.

Ouid. 1.
 Fastor.

Felices anima, quibus hæc cognoscere primis,
 Inq; domos superas scandere cura fuit.
 Nihil est in terris, nihil in mari, nihil in celo,
 nihil denique in vniuerso mundi ambitu, quod hominum
 animo non inuestigarint, mente non penetrarint,
 ingenio non comprehenderit, eloquentia non ex-
 narint, & inclitis literarum monumentis non pre-
 diderint. Itaque nemini dubium esse potest, quoniam
 Lite

Literæ sint omnium rerum pulcherrimarum quasi preciosissimus quidam thesaurus. Nefas est (meo quidem iudicio) credere, Literas, quibus nihil excogitari diuinius potest, aliorum quam Dei immortalis inuentum fuisse. Scribat mendax Græcia, quicquid voluerit: Fuisse quosdam olim in Aethiopia populos, qui mortaliū primi literas inuenerint, à quibus eas Egyptij, qui Aethiopum coloni fuisse dicuntur, postea sumpserint: moxque ab ijs: qui ex Thebis Egyptiacis migrare, in Phœniciam fuisse delatas: vnde Cadmus, Agenoris filius, earum usum in Græciam deportarit, deinde successu temporis, Euandri matrem Nicostatam, quæ eadem & Carmenta dicta est, eas in Italiam aduexisse: Vel (quod apud Platonem legimus) Egyptium quendam Dæmonem, nomine Theuth, literarum fuisse repertorem. Vt volet quisque accipiat: Ego tamen Iosephi, non ignobilis Historici, de hac re sententiam verissimam esse iudico. Is enim scriptum reliquit, Adami filium, nomine Sethum literarum usum habuisse: & in duabus eum columnis, cœlestium rerum disciplinam, quam scilicet ab Adamo patre, didicerat conscripsisse. Quæ si vera est sententia, cuiusnam dubium esse potest, quin literas à Deo primus omnium parens Adamus acceperit, & filium Sethum, quem post Abælis mortem vnicè diligebat, eas docuerit? Sunt igitur Literæ præstantissimum Deorum immortalium munus, quod eius rei gratia mortalibus traditum est, vt noster animus in hoc mortali corpore, tanquam obscuro quodam carcere penè violenter inclusus, splendorem illum pristinum diuini luminis recuperet,

In Phædro,
vt supra in
Orat. II.

Antiquit.
libr. I. ca. 3.

cuperet, & rerum omnium diuinarum atque humanarum cognitionem acquirat. Ad haec ut per literas, & quid superiori tempore gestum esset, recorderemur, & quid in presenti gerendum sit, intelligamus, & quid postea sit futurum, praevideamus, ut per literas omnia vita communitas contineatur: ut nullum commercium inter mortales, nullus contractus, non pax, non bellum, non induciae sine literis sanciantur. Sed nimium multa de re minime dubia loquor. Quis est enim, qui nesciat, nihil esse tam excellens, tam sanctum, tam religiosum, quod merito possit cum scientiarum cognitione comparari? Quod cum agnovissent illi ac sapientissimi ac prudentissimi ac sapientissimi viri, quorum gloria defeminata in orbis terrae memoriam sempiternam relatum unquam tempus ab ijs studiis vacuum esse habebant: & quod maiorem atque altiore dignitate dignum obtinebant, tanto ardentius ad percipiendas disciplinas inflammabantur: neque hoc solum, sed etiam literatos omnes omni studio & honore prosequuntur. Nam cui non auditum est, Augustum Caesarem summum orbis terrarum Monarcham, summum ingeniorum ac literarum fautorem existisse, & liberalibus studiis adeo deditum, ut nullam omnino diem praetermitteret, in quo non aliquid aut legeret, aut componeret: qui, quamvis praclare intelligeret res gestas suas immortales futuras, nec villo modo periri posse, ut iniuria temporum nominis sui fama recideret: nihilo tamen minus etiam ex literis quae rebat. Quid, huius pater ex adoptione Iulius Caesar nonne sicuti bellica gloria maiores omnes superavit,

ita etiam eloquentia palmā arripuisse videtur, ut vni Ciceroni cesserit; ceteros omnes longo interuallo post se reliquit? Atque hunc etiam Doctorum hominum illa studiosum fuisse accepimus, ut omnes liberalium artium Professores ciuitate donauerit. Iam verò Scipiones, duo belli fulmina, Superiorem & Inferiorem Africanos, ambos Pœnorum & Hispanorum debellatores, ita doctrinæ cupidos fuisse legimus; at ille superior, cum Africa ruinam volueret, inter difficillimi belli molitiones & apparatus, bonarum artium studia non pratermitteret; sed Philosophorum scholas crepidatus in Sicilia frequentaret. Hic autem posterior Aemilianus, etiam Poetica studiosus fuisse fertur, ut Terentium Comicum, qui cum familiarissimè, in conscribendis Comœdijs plurimum adiuuuisse dicatur. Quid ergo Catones duos commemorē, Cen-

Val. Max.
lib. 8. ca. 7.

sorium & Vticensem, sapientissimos viros? quos constat senes admodum operam dedisse literis, & adeo flagrasse discendi cupiditate, ut ille superior Censorius, annum natus sextum & octogesimum, iuuenili tamen animo in discendo persisteret. Vticensis verò in ipsa curia, dum Senatus cogeretur, Græcos libros lectitabat. O verè sapientissimos homines, quos à colendis his literarum studijs, quæ omnium utilissima esse intelligebant, nullum vnquam tempus abstraxerit, nullum negotium auocarit, non deniq; et as iam ingravescens retardarit! Age verò, quid de Anaxagora Philosopho dicemus? qui patrimonium amplissimum amicis suis largitus est, ut liberius Philosophiæ vacare posset. Quid Democritus Abderites, cuius pater

D d adeo

aded diues fuisse dicitur, vt epulum Xerxis Persarum
 regis exercitui dare potuerit, nonne discendi gratia,
 tot ac tantis spretis diuitiis, patriam deseruit, & di-
 uersas mundi regiones peragravit? Nec mehercule
 Megarensis Euclides silentio prætermittendus est, qui
 vsq; ad discendi cupiditate flagrauit, vt vel capiti pe-
 riculo sumpta muliebri stola, noctu Athenas, quod Me-
 garensibus erat capitale, commearet, vt philosophum
 Socratem audiret. Quantus autem fuit Cle-
 this ardor in literis? quanta industria? qui cum vsq; ad
 mendicitate premeretur vt ne cibi quidem facultas
 peteret, nocturno tempore ad aquam, è puteis haurien-
 dam, operam suam locabat, vt eo saltem quaestu inopi-
 am sustentaret: vnde etiam vulgò Phreantles appella-
 tus est: interdum verò principem Stoicorum Zenonem
 audiebat. Quid verò dicam quantam obscurissimam
 hominibus, & humili loco natis gloriam afferre solent
 ant Litera? Quis Melesigenem Homerum, ex ignobili
 genere, imò potius ex adulterio, & incerto patre na-
 tum, agnosceret, nisi Poetica illa diuina per eum quasi
 quadam immortalitatis incunabula recepisset, & ad
 summum quasi perfectionis gradum processisset? Quis
 Ennium Rudium hominem natum sciret, nisi per do-
 ctrinam ad hominum existimationem dimanasset,
 quem superior Africanus aded charum habuit, vt eum
 & ciuitate donarit, & sepulchro suo constitui iussit.
 Quid Socratem, Phænareta matre obstetricæ, & So-
 phronisco patre marmorario natum, commemoremus
 qui non nisi propter singularem & admirandam Philo-
 sophia scientiã ad tantum gloria lumen euasit, vt im-

Val. Max.
 lib. 8. ca. 7.

lus unquam fuerit, non solum hominum consensu, sed
 etiam Apollinis oraculo sapientior. Euripidē verò quis
 ignorat non generis excellentia, sed doctrina vera no-
 bilitate inclaruisse? cuius matrem Clito ferunt olera
 solitam fuisse venditare. Iam verò Demosthenis patrem
 cultrorum venditorem fuisse, memoria proditum est;
 & quid hoc Oratore nobilius, aut clarius? ut intelli-
 gibilem possit, Veram gloriam in literis & doctrina
 positam esse, nō in fumosis maiorum imaginibus. Quid
 Aschinem tympanistria filium, Demadem piscato-
 rem, Anacharsim Tartarum, Asopum, & Epicte-
 tum Stoicum, atque seruos, Lucianum Syrum lapici-
 dam? Quid innumerabiles alios commemorem? quo-
 rum genus obscurissimis ignobilitatis oppressum tene-
 bris, fulgentissimo literarum splendore fuit illustra-
 tum. Sed neque tempus, neque latera, neque vox suf-
 ficeret; si minimam eorum partem, quorum in men-
 tem exempla mihi veniunt, commemorare velim. Qua-
 re mihi modus potius, quam copia, querendus est: cum
 presertim huc me cursus orationis, non voluntas mea
 detulerit. Incredibile dictu est, P. C. quā sēpe me-
 cum admirer antiquorum hominum studium & dili-
 gentiam, in perquirendis & memoria prodendis disci-
 plinis, quos non fames, non sitis, non frigus, non immen-
 sa pericula retraherant: nihil erat tam arduum, nihil
 tam difficile, nihil tam periculosum, quod discendi de-
 siderio non adirent: omnia loca peragrabant, omnes
 regiones, in quibus aliquid egregium & cognitione di-
 gnū percipere posse confidebant: quin etiam cibi som-
 niq; immemores, totas sapissimè noctes, totos dies in li-

Gel. Noct.
 Att. lib. 15.
 cap. 20.
 Val. Max.
 lib. 3. c. 4.

terarum studijs consumebant. Itaq; non mirum est, si tantum de se nomen, tantum decus, tantam memoriam reliquerunt. Hac igitur, egregia indolis Adolescentes, imitamini, per Deos immortales, qui dignitatem, qui laudem, qui gloriam quaritis: hac sunt excelsa, hac magnifica, hac fama celebrantur, hac posteritas propagantur. Est quidem his studijs magna quaedam difficultas, & labor propositus: multo sudore, multo vigilijs opus est, omittenda sunt voluptates, relinquenda studia delectationis, ludus, iocus, conuiuium. Verum in scitria est, honorem aut famam sperare, cum à laboribus, curis, à vigilijs animus abhorruerit. Trivium est vetustate proverbium: Difficilia, quae pulchra. Et verissimè Poeta quidam cecinit:

Propert.
libr. 3. E.
leg. 1.

Non datur ad Musas currere lata via.
Sed mihi omnis ratio est cum virtute, non cum desidia, cum dignitate, non cum voluptate, cum q̄s, qui patria, qui suis ciuibus, qui laudi, qui gloria, non qui somno, & conuiuijs, & delectationi natos arbitramur. Quare moneo vos Adolescentes, atq; hoc meo iure precipio, qui dignitatem, qui gloriam spectatis, ut haec studia literarum, tam ampla, tam diuina, tam immortalia, omni animi conatu, omni labore, omni industria complectamini. Nam quem generosum animum labor, quamuis immensus, possit ab his tantis praemijs remorari? Ceteros pudeat, umbras hominum, inuoluta terra pondera: qui seipsos ita prosternunt atq; abiciunt, ut corporis tantum voluptatibus inseruientes, nihil vnquam eximium animo voluant: qui pro vilissimo diuitiarum caeno, preciosissimos virtutis vniones derelin-

lingunt: qui more pecudum, ventri, somno obedientes, foedissimis libidinibus & ocio veterioso marcescunt: qui res fluxas ac fragiles, aeternis & clarissimis viris relictis ac neglectis, persequuntur. Nos verò cogitemus, corpus hoc esse mortale, animi verò motus, & virtutis gloriam sempiternā: cogitemus, animum nos cum Dijs communem habere, corpus verò cum belluis, quantoq; animus corpore praestantior est, tamò etiam animi ornamenta corporeis ornamentis antecellere. Valeant apud vos vota hominum illa, qua multos vsurpare sapissimè auditis: O si mihi repuerascere liceret, quo ardore animi literas amplexarer! Optimum est (aiunt) aliena frui insania: quod alij iam in prouectioritate non fecisse, dolent, id vos in ista flore in iuuentute atq; adolescentia praoccupate. Nulla sunt alia, (mihi credite) praeter Literas, clara virtutis rudimenta atq; incunabula, quibus animi ad gloria cupiditatem accendantur: nihil est, in quo flores aetatis vestrae consumentes, vberiore postea fructum demetatis. Quare agite, mecum Iuvenes, verae nobilitatis amatores, tantum literarum fructum, tantam utilitatem, tantam gloriam amplexamini: sapientissimorum hominum vestigijs insysite: ad immortalitatis arcem eintimini. Me vobis duce, siue mauultis, comitem polliceor, atque offero. Non omnino pigrum, neque remissum hortatorem, sed eum, qui simul & strenui militis, & boni imperatoris officia possit exequi, me (ut spero) videbitis. Si vos cœpit vnquam vlla gloria atq; aeterni nominis cupiditas, si studium virtutis ac honoris vnquam oblectauit, si clarissimarum virorum exempla

vos commouent, si vos suis illecebris ipsa virtus trahit
 ad verum decus: incumbite, per Deos immortales, spre-
 tis & conculcatis voluptatibus, in hoc optimarum ar-
 tium studium; quod & viuentibus vobis summo: digni-
 tatis gradus acquireret, & fato functis nominis vestri
 memoriam aeternis monumentis consecrabit. Vos vere,
 P. C. & Ciues nobilissimi, egregiam prolem vestram
 (si quam habetis) huic gloriae destinate; cum vniuersis
 lacte, facite, vt bonarum quoque rerum scientiam
 complectatur. Nihil vnquam in vita felicius discitur,
 quam quod ab ipsa statim infantia discitur: nec quic-
 quam tenacius haeret, quam quod rudibus annis semel
 perceptum est. Sed nihil opus est vos adhortari: cum
 sponte vestra satis accensos esse videam. Quare super
 dicendi faciam, si prius vnum illud addidero, quod, ut
 spero, postea melius intelligetis: Nihil mihi magis est
 in optatis, quam vt liberis vestris, vt omnibus bonis, vt
 toti Reipubl. quantum ingenij facultas potest, maxima
 profim. Ad hoc negocium amore patriae, quam se-
 lute propria chariorem habeo, vobis ita decernenti-
 bus, accessi: nec me profecto res vlla potuisset ad tan-
 tum laborem impellere, praeter hanc meam summam
 erga patriam charitatem. Quo munere omni studio
 & industria, vt, quam fieri poterit optimè, fungar
 diligentissimè prouidebo. Itaq; vos P. C. obsecro
 que, obtestor; quod tamen libentissimè vos facturum
 certum habeo, ne meum hunc animum tam promptum
 ac paratum ad huius Reipubl. utilitatem contemnatis:
 sed in dies magis atque magis, vt iam cepistis, auctori-
 tate vestra, fauore, gratia subleuetis. Ego his testibus,

qui praesentes sunt, omnibus illud de me polliceri non dubitabo, quantum humano consilio ac labore fieri poterit, nihil me praetermissurum, quod quidem ad provehendas bonas literas, & inflammandos ad disciplinas adolescentium animos pertinere videatur. Quod si meae diligentiae vestra quoque auctoritas suffragata fuerit: nullus erit (ut opinor) tam iniquus iudex, quin ex hac re plurimum huic nostrae civitati censeat utilitatis accessurum.



DE GRAMMATI-
CAE ARTIS EXCELLEN-
tia, ad Senatum Populum-
que Mediolanen-
sem.

O R A T I O XX.

SI quis est vestrum, Patres Conscripti, vosque ceteri Cives honestissimi, qui fertè miretur, me, qui iam duos ab hinc annos hanc publice docendi atque humaniores literas profitendi provinciam eo animo reli-

D d 4 que